



Giennensis, P. Anastasius Hage, sup. gen. Ordinis Basiliani S. Ioannis Baptistae.

Hora 12,10 reposito S. Evangelii codice, praeses preces *Angelus... Agimus...* recitavit et secretarius generalis intimavit proximam congregationem generalem die 28 novembris habendam.

XXIX

Congregatio generalis vicesima nona habita est die 28 novembris, feria IV, hora 9 ante meridiem. Interfuerunt 2144 Patres, nempe 70 cardinales, 7 patriarchae, 9 primates, 380 archiepiscopi, 1576 episcopi, 10 abbates nullius, 11 praelati nullius, 81 superiores generales.

Missae celebratae est ritu aethiopico a P. D. Asrate Maria Yemmeru, arch. Neanthopolitano. Alumni Collegii Aethiopici exsecuti sunt cantus. Ante Missam Patribus distributum fuerat folium typis impressum, cui titulus *Liturgia Aethiopica*, continens partes ritus et notam circa ipsam liturgiam.

Post Missam ipse celebrans S. Evangelii codicem super paratum thronum statuit, dum alumni Collegii hymnum cantant.

Intimatione facta: *Exeant omnes*, card. Ignatius Tappouni, patr. Antiochenus Syrorum, primi praesidis munere fungens, precem *Adsumus...* recitavit, et secretarius generalis ex ambone, proclamato praesidis nomine, legit nomina Patrum, qui circa decretum *de Ecclesiae unitate* loqui postulaverant.

Dein annuntiavit aliquas emendationes cap. 1 constitutionis *de sacra Liturgia*, typis impressas, distributum iri, ut feria VI sequenti suffragationi subicerentur.

Prosecuta est disceptatio circa decretum *de Ecclesiae unitate*. Primus locutus est ipse praeses, card. Ignatius Tappouni, qui postea ad loquendum vocavit cardd. Franciscum Spellman, arch. Neo-Eboracensem, et Alfredum Ottaviani.

Card. Ottaviani proposuit ut, expleta disceptatione circa decretum *de Ecclesiae unitate*, transitus fieret ad schema *de B. M. Virgine*. Quidam Patres plauserunt.

Postea circa schema *de Ecclesiae unitate* ad loquendum ex ordine vocati sunt B. D. Paulus II Cheikho, patr. Babylonensis Chaldaeorum, Ioseph Tawil, arch. tit. Myrensis Melchitarum, vic. patr. Antiochenus Melchitarum, Ioannes Velasco, ep. Sciamensis, Marcellinus Olaechea Loizaga, arch. Valentinus, Ioseph Khoury, arch. Tyrensis Maronitarum, Michaël Darmancier, ep. tit. Auguritensis, vic. ap. Insularum Wallis et



Futuna, Dominicus Hoang-van-Doan, ep. tit. Saccaeotenus, Vincentius Enrique Tarancón, ep. Celsonensis, Reginaldus Addazi, arch. Tranensis et Barolensis, Alexander Scandar, ep. Lycopolitanus, Ioseph Köstner, ep. Gurcensis, Alfredus Ancel, ep. tit. Myrinensis, aux. Lugdunensis, Michaël Assaf, arch. Petrensis et Philadelphiensis, Georgius Dwyer, ep. Loidensis.

Iuri loquendi renuntiavit P. D. Christophorus Butler, sup. gen. Congregationis Anglicae O.S.B.

Tum secretarius generalis ex ambone annuntiavit consilium praesidentiae post examen postulati card. Ottaviani suam decisionem communicaturum. Dein propositionem legit, qua Patres rogabantur ut durante novendiale in honorem Immaculatae Deiparae Virginis preces effunderent pro omnibus episcopis et pro cuncto populo christiano. Omnes Patres plauserunt.

Tandem secretarius generalis proximam congregationem intimavit feria VI, die 30 novembris, hora 9 habendam.

Patribus duo opuscula, typis impressa, distributa sunt: *a)* Emendationes ad cap. 1, n. 1-9, schematis *de sacra Liturgia*; *b)* relatio super decretum *de Ecclesiae unitate*, a P. Athanasio Welykyj in congregatione generali vicesima septima, die 26 novembris, lecta.

Hora 12,25 precibus *Angelus... Agimus...* recitatis, Patres dimissi sunt.

XXX

Congregatio generalis tricesima habita est die 30 novembris, feria VI, hora 9 ante meridiem. Interfuerunt 2145 Patres, nempe 69 cardinales, 8 patriarchae, 9 primates, 380 archiepiscopi, 1574 episcopi, 10 abbates nullius, 11 praelati nullius, 84 superiores generales.

Missa de festo S. Andreae Apostoli celebrata est ritu romano a P. D. Andrea Charue, ep. Namurcensi. Chorus Cappellae Sixtinae executus est cantus: *Ave verum* (Bartolucci), *O salutaris hostia* (Bartolucci), *Crux fidelis* (Bartolucci).

Post Missam P. D. Ioachim Domingues de Oliveira, arch. Florianopolitanus, S. Evangelii codicem super paratum thronum statuit, dum Patres cantant *Christus vincit* cum Ps. 116.

Intimatione facta: *Exeant omnes*, card. Franciscus Spellman, arch. Neo-Eboracensis, munere primi praesidis fungens, precem *Adsumus...* recitavit.

Secretarius generalis ex ambone, annuntiato primi praesidis nomine, invitavit Patres ut Principem Apostolorum eiusque fratrem, S. Andream,